

**A** vocari non possit, declarationē ipsam a maioribus nostris fuisse factā: & ne forte quīpiam ambigeret, an tali esset opus declaratione, idcirco nobis (vt supra dictū est) videbatur operæ pretium eiusce rei veritatē ostendere & aggredi, ex quo etiam crederetis, ipsam a Romana ecclesia conuenienter, maxima p̄sertim vrgente necessitate, additā s̄m̄ b̄lo fuisse. Vt extra aut̄ argumenta, quæ priuatim inter vos ferebantur (vt nunc nobis relatum est) facile possent refelli, quibus ostendere credebatis, nos a ratione proposita diuertisse, ac nulla responsione ad vestram orationē factā, ad valde impertinentia venisse. Quorum neutrū, patres ampliss. credimus cōmississe. Si namq; vos (vt libuit) perorastis: a ratione non fuerat absonū, si ipsi quoq; ad libitū nostrū respondissetis: cum p̄sertim oratio nostra nequaquā inepta videretur: sed neq; (pace vestra dixerim) impertinens fuerat. Nā etiam is, qui causam dicit in foro, aut in academia sibi propositis argumentis respondet, quandoq; solet diuertere, & aliquā conclusionē probare: cuius deinde veritate percepta, ad propositū reuertitur: ita tamen, vt de iuribus petentis neutiq; minuatur. Sed ideo vobis videtur, nos nequaquā ad propositū respondisse, q̄ nondū ad tertiam partem venimus: Quærentibus em̄ vobis, an nobis licuerit diuino symbolo quicq; addere, aut verbū eius aliquod declarare, necne, id nos proculdubio facere posse professi fuimus. Sed cū aliam huius rationē asserre non possemus, idcirco nostrā ipsam declarationē veram ac necessariā esse volebamus ostendere. Quod plane caput orationis nostræ tertium futurū fuerat. De q̄ quidē nō esset ab re (vt paulo ante dictū est) accuratius disputare. Sed qm̄ id grauiter ferre videmini, ac nobis enuntiaſtis, vos ad id minime responsuros esse, idcirco vt hac etiam in re vobis gratissimū faciamus, parte illa postposita, nonnulla alia proferemus, quibus & habita nostra oratio explanabitur, quæq; ad ea, quæ suo loco probabimus, necessaria fuerint: ita vt omnes intelligant nos ad propositū respondere, & an iustā in nos inuehendi causam habeatis. Vt aut̄ nostra oratio plana & intelligibilis sit, ex his ipsis nostrū sumemus exordium, quæ modo vos recitastis. Initio Nicænum symbolū protulistis: quod cur feceritis, nō ipsi videmus, quandoquidē id videtur nulla nobis ratione obſtare, neq; nostræ sententiæ contrariū esse. Nostra em̄ controuersia est, an sanctus sp̄s quemadmodū ex patre, ita etiā ex filio procedat: & an Romanæ ecclesiæ hoc declarare licuerit. Symbolū aut̄ ipsum tamen sanctissimū sit, ad propositum tamen neutiq; spectare videtur. Num illud ipsi non credimus? Num a nobis non suscipitur? non approbatur, non excolitur, non celebratur? Num deniq; nobis idē & vobis cōmune non est? At pater Ephesius dixerat, secundū & tertium concilium definitisse, symbolū illud immutabile manere debere. Hoc etiam ipsi fatemur, nō ita tamē, vt idē clarius ac lucidius reddi, si opus esset, non posset: sed quæ ad eius veritatē spectat est, ea semper immota manerent. Nā quemadmodū scientiæ principia, omnia sua potestiora potentia cōtinent, ac in seipsis includunt: ita etiam Nicæni symbolū Christianorum doctrinā & fidē in seipso implicitā continere, includereq; censetur. Illud em̄ in filium ex patre natū, in Arrium hæreticū celebratum fuerat. Sanctū aut̄ spiritum deum esse, in Macedoniū & Eunomiū. Filium vero fuisse incarnatū & genitum, aduersus Nestoriū. Imo si quis omnia diligenter perpenderit, nullā prorsus præteritā inueniet hæresim, vel futurā excogitabit, quæ non eiusdē Nicæni symboli facultate diruta fuerit, vel quæ destrui nō possit. Siquidē igitur symbolū hoc pro nostro fidei fundamentō celebratum fuerat, necesse est, immutabile maneat, principiorū cæterarū scientiæ instar: quibus daris atq; concessis, immotisq; permanentibus, multas conclusiones doctores probare solent. Patet ergo, cur Romanā ecclesiam ex ipso symbolo neutiq; accusare potestis, quod vnā cū tertij concilij definitione velim iterum recitetur. Audistis, amplissimi patres, interdictum ipsius concilij vtraq; lingua perlectum: quo plane nil aliud prohibetur, nisi vt diuersa fides componi, vel literis mandari, aut ab aliquo profiteri non possit, quorum nihil ipsi benignitate dei commisimus: quandoquidem paulo ante probauimus, vnus ac eiusdem esse religionis, profiteri sanctum spiritū ex filio quē admodum ex patre procedere: q̄ expositio, explanatio, declaratio, dilucidatio, id deniq; genus alia, additiones non sunt, cum diuersam fidem nequaquā significent. Constat ergo clarissime, interdictum illud minime contra nos facere. Sed ad Cyrilli literas veniamus, quas ad Iohannem Antiochenum præfulem scripserat: quæ (si placet) iterū recitentur. Ipsius tertij concilij authores, Patres amplissimi, p̄sertim idem ipse Cyrillus,